

Introitus Araliacearum Mascarenarum : 1. Incrementum specierum Polysciadum : Polyscias Aemiliguineae et Polyscias Rivalsii insulae Réunion, species novae

Autor(en): **Bernardi, Luciano**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Candollea : journal international de botanique systématique =
international journal of systematic botany**

Band (Jahr): **29 (1974)**

Heft 1

PDF erstellt am: **13.09.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-880137>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

Introitus Araliacearum Mascarenarum

1. Incrementum specierum Polysciadum: Polyscias Aemiliguineae et Polyscias Rivalsii insulae Réunion, species novae

Auctore LUCIANO BERNARDI, felsineo

RÉSUMÉ

L'auteur décrit deux nouvelles espèces de *Polyscias* de l'île de la Réunion.

SUMMARY

The author describes two new species of *Polyscias* from the Réunion Island.

ZUSAMMENFASSUNG

Der Verfasser beschreibt zwei neue *Polyscias*-Arten von der Réunion-Insel.

Polyscias Aemiliguineae Bernardi, spec. nova (fig. 1, pl. I)

Typus: Bernardi 14504.

Arbor crassa, 40 cm diam, 7-8 m alta, cortice sat spisso, fissurato, leucophaeo; ramificata ex 2 m alt. trunci, coma vasta et frondosa, clare-viride; ramuli crassi, cortice leve et sat lucido, cicatricibus foliorum grandibus. *Folia* imparipinnata sat similia eis *Swieteniae macrophyllae* et *Soymidae febrifugae*, *Meliacearum*, 5-7 juga, 40-60 cm longa; fide *Friedmann 2046*, folia juvenilia metralia adsunt, foliolis quam adultis productioribus, usque ad 25 x 7 cm, margine longe et inaequaliter serrato; glabra, parum discoloria. *Petiolus* teres, parum arcuatus, 9-14 cm longus, basi dilatata, squamosa, canosa in sicco, stipulis adnatis, inconspicuis, ut cristis canosis et callosis haud semper persistentibus. *Rachis* etiam arcuata et valde geniculata ad foliolorum insertionem. *Foliola* membranacea, lucida, parum medio plicato-arcuata, margine blande-repando; jugo imo minore, late ovato, cetera ovato-oblonga, basi inaequali, obtusissima, apice saepius obtuso, petiolulis 8-15 mm canaliculatis, foliolo terminale tamen 25-35 mm longe petiolulato; laminis usque ad 20 x 10 cm, saepius 14-16 x 8 cm. Costa in sicco utrimque prominula, aliquantum gracilis; nervi laterales exiles, plerumque suboppositi vel alterni ex costa abeunt, (9-)12-14, divaricati, deinde versus apicem, quem non attingent, arcuati et exilissimi. *Inflores-*




Fig. 1. — *Polyscias Aemiliguineae*
 A, B, C: foliola (C, terminale). D: flos clausus. E: corolla resecta. F: conspectus disci carnosi, sulcati, conspicui. G: petalum, visu ventrale et dorsuale. H: stamina antheris superne retroflexis. K: Sectio ovarii, saepius 9-10 ovulati. (L. Guibentif delineavit).

centiae crassae, erectae, laterales, ex ramis crassis, foliosis nascuntur, vel subterminales: ex coma tamen non emergunt. Saepe 3 paniculae ex axi communi 3 cm diametrali, abbreviato (3-10 cm longo) oriuntur, rachide lignosa, crassa, cortice claro sed sparsim rufo-squarroso, squamis ut videtur mox deciduis; 30-35 cm altae, racemis numerosis, rectis, robustis, assurgentibus, (10-)12-17 cm longis, ebracteatis ad basin (an bracteae cito deciduae?), 3-4 cm a basi sine floribus. *Flores* sessiles, pro ut genere grandiusculi, per racemos inspersi, nonnumquam approximati, ideo racemi hic illic denudati conspiciuntur, bracteis basalibus lineatis 2-3 mm longis praediti: haec bracteae quidem fugacissimae vel fragilissimae sunt, quia rarissime observantur. Flos cum racemo a bracteola circulari, patelliformi articulatus. *Bracteola* haec, receptaculum et calyx, dense fulvo-lanosa, indumento persistente; receptaculum 3 mm altum, campaniforme. *Calyx* sinuatus, (7-)8 sepalis ne 0.5 mm quidem alti, obtusissime triangularibus; quandoque calyx tantum ut margo sinuata fere integra adest. *Petala* (7-)8(-9), triangularia acuta, 5 x 2 mm, spisso-carnosa praecipue ad apicem, intus carinata et superne uncinulata, dorso fulvo-pubescente, mox glabrescente. *Stamina* 8, conspicua, erecta, filamentis robustis, 3.5 mm altis, alte dorsifixis; antherae magnae, 3 mm altae, 2 mm latae, in alabastro valde stipatae apice retro plicato. *Discus* carnosus, conspicuus, primum depresso conicus, in sicco lacunosus, supra teres, sulcatus, ex quo stili oriuntur, erecti, approximati, attenuati, carnosiusculi et lucidi, (8-)9-10(-11-12), 1 mm vel paullum magis longi. *Ovarium* totidem loculis et ovulis praeditum, loculis in transectione, angustissimis. *Fructus* maturi desiderantur.

Nomen vernaculum: ut videtur, abest.

Distributio: species rarissima, tantum nota in regione Mare Longue, vicinioribus St. Philippe ex duabus arboribus adultis et una arbuscula.

Specimina visa: typicum, *Bernardi 14504*: "Arbor vasta, crassa, ramis crassis pluries furcatis, ramulis ad apicem fuscis. Foliola saepe 15, membranacea, oblonga, basi inaequali, parum discoloria, rachide ad nodos valde geniculata. Paniculae erectae fulvo-rufae, axibus lignosis, erectis, crassis. Flores sessiles, calyce fulvo-rufo, corolla in alabastro viridello-lutea. Legebam 20.10.1973, circiter 250 m alt. (fig. 5).

Specimina sequentia omnia ex eadem arbore lecta sunt: *Bosser 21284* (19.10.1972); *Cadet 3651* (6.7.1972); *3844* (sine die). Omnia indicta, florifera, floribus in alabastro et simul corolla delapsa. *Friedmann 2046*: "Jeune individu 1.5 m. Feuilles jusqu'à 1 m de long, imparipennées à 7 x 2 folioles à nervures rougeâtres. Marelongue, alt. 300 m, déc. 1972." (spécimen stérile).

Nuncupationis causa

Egregio et nunc emerito, tamen semper operoso et studioso Scientiae amabilis sensu Caroli Linnaei (nec aliorum auctorum) botanico hispanico Aemilio Guinea hanc speciem quam celeberrimum Panda (= *Ailuropoda melanoleuca*) certe rariorum, dedico. Aemilius ipse de vita sua et affectibus et latinitatis amore et professionis mirabiliter scripsit in "Préambulo" ingentis operis sui "Vizcaya y su paisaje vegetal, Bilbao 1949".



Fig. 2. - *Polyscias Rivalsii*
Folium.




Fig. 3. — *Polyscias Rivalsii*
Inflorescentia plerumque florifera,
paucos fructus ferens.

Polyscias Rivalsii Bernardi, spec. nova (fig. 2, 3, 4)*Typus: Cadet 4173* (G; K; P; Réunion).

Arbor crassa, 8-10 m alta, cortice spisso, coma vasta; ramuli crassi, cicatricibus foliaribus conspicuis, semilunatis. *Folia* imparipinnata, glabra, membranacea, 6-10 juga, 50 et ultra cm longa in typo: in natura reor valde longiora; an metralia? Stipulae in speciminibus prae me non adsunt; petiolus et rachides foliorum sat graciles, teretes; petiolorum basis expansa et crassa. *Foliola* oblongo-ovata sed valde inaequalia praecipue ad basin rotundatam; jugum basale valde minus; foliolium terminale ter longius petiolulatum; plerumque 10-14 cm longa, 3-4.5 cm lata, petiolulis plus minusve centimetralibus in foliis adultis parum expansis. Margo foliorum laxe serrato-crenata vel repanda, quandoque — in foliolis ut videtur junioribus — sat profunde at inordinate serrata versus basin. Costa utrimque prominula, haud robusta; nervi ex costa alternatim 9-14 utrimque abeunt, graciles et incerti, ascendentes et non arcuatis, haud procul a margine saepius divaricati. *Paniculae* robustae, 50 cm longae (an magis, in natura?) rachide lignosa ad basin 8 mm crassa, cortice fusco et scabro; racemuli laterales arcuato-ascendentes 10-12 cm longi. *Flores* 6-7 meri, per racemulum inspersi, duo vel tres nonnumquam approximati, sed numquam fasciculati vel umbellulati, bracteolis destituti (num bracteolae minimae ortu inflorescentiae et fugaces?). Pedicelli teretes, 4 mm longi, expansi ad apicem crateriformim margine tomentello. *Receptaculum* plus minusve 2 mm altum, torulosum videlicet 6-7 obtuse-angulatum. *Calyx* ne 0.5 mm quidem amplus,




Fig. 4. — *Polyscias Rivalsii*
 A, summo racemo. B, flos clausus, articulatione pilosa, scutelliformi. C, flos artificiose apertus.
 D, fructus. (Danielle Calame delineavit.)




Fig. 5. – Loci inventum in insula Réunion *Polysciadum* novarum
 Supra: *Polyscias Rivalsii*: Ilet Solitude (typus: *Cadet 4173*); Grande Chaloupe (*Friedmann 1767*, sterile); Moka (*Rivals s/n*, 3.1945).
 Subtus: *Polyscias Aemiliguineae*: Mare Longue, prope St-Philippe (typus: *Bernardi 14504*); ex eadem arbore nonnulla specimina legebantur (vide textum).

receptaculum superans, lobulis haud distinctis, margine parum inaequali, ciliolato. *Petala* 6(-7), triangularia, 3 mm alta, 1-2 mm basi lata, carnosa, apice intus crassiore et uncinulato. *Stamina* conspicua, filamentis in sicco fusco-viridibus, semiteretibus, alte dorsifixis, 2 mm longis; antherae luteae, oblongo-ovoideae, 2 mm altae 1 mm ut summum ad basin latae, saepe ad apicem cochleatae, ideo thecis inaequalibus. *Discus* carnosus, conicus, scrobiculatus in sicco, eodem colore quam filamenta, a stilibus coronatus, abbreviatis, contiguis, attenuatis; 1 mm vel paulum magis altus in totum, id est stilibus inclusis. *Ovarium* 6-7 ovulatum, loculis in transectione observatis, ellipticis. *Fructus* globosi in vivo, 6-7 obtuse angulato-costati in sicco, 5 mm plus minusve diametrales, pedicellis gracilibus (5-)6 mm longis, apice dilatato ut scutella, margine piloso; stilopodium conspicue in fructu incretum, 2 mm altum, a stilibus brevibus radiatim prostratis attenuatisque confectum. Pyrenes osseae valde compressae, fere semilunatae sed apice acuto et basi rotundata, cristis duabus dorsualibus praeditae, dorso incurvato tamen facie expansa et plana: 4 mm altae, 3 mm fere latae, dorso paulum minus quam 2 mm amplo. *Semina* valde compressa, ovata, 3 x 2 mm, dorso parum expanso, albumine haud ruminato sed leniter plicato-sulcato (ob penuriam fructum in typo, mihi tantum licebat unum inspicere).

Nomen vernaculum: ignotum.

Distributio: specimen typicum tantum fertile inveniebatur sic (ex schedula clari lectoris): "Arbre de 8-10 m, forêt sur pente, Ilet Solitude, hauts de la Possession, vers 600 m. *Cadet 4173*, 15.3.1973" (fig. 5).

Specimina sterilia, sed certe ad hanc speciem adscribenda: *Friedmann 1767* (P): "Petit arbre de 6 m peu ramifié à écorce épaisse, rameaux ultimes épais 2 cm; feuilles longues 50-60 cm inodores si froissées, normalement imparipennées. Grande Chaloupe, alt. 750 m." *Nota*: arborem eandem vidi, secus rivulum et juxta nonnullas palmas generis *Hyophorbe*, at minime ad 750 m alt. certe minus quam 650 m supra aequor maris, videlicet circiter 600 m alt. *Rivals s/n* (TL): Moka, propriété Chabrier, alt. 400 m. Mars 1945.

Nuncupationis causa

Petrus Rivals, occitanus Tolosae, ubi natus est die 21.10.1911, mea ratione plus quam epithetum praebere speciei novae et rarissimae ut *Polyscias Rivalsii*, promeret, ob egregiam scientiam ejus lapidum et plantarum ejusdem insulae ubi haec species florescit. Tempus insulae ei quidem abundavit, quia belli Europae et totius orbis causa, non per paucos menses Petrus Rivals manebat, ut statuerat anno 1939 calendis maiis cum Réunion attigisset, sed per annos illic coluit. Uxore secum secuta, Petrus cordis solitudine non excruciatum est, contra in insula illa, ab antiquo celeberrima ob incolarum fecunditatem, Rivalsianam familiam multo increvit, quia si duo advenerunt, quinque Rivalsii cognomine parentes liberique, calendis maiis 1946 Galliam peterunt pyroscapha. Petrus tamen non solum ut paterfamilias annos illos peregit; quoque indefessus per semitas et nemora montana et per campos et pagos et oram percursavit, vegetationis praesertim societates noscendi causa; simul herbarium insulae confecit et species plantarum paulatim perfecte cognovit. Patriae regressus ideo, magni pretii operam scripsit nuncupatam: "Etudes sur la végétation

naturelle de l'île de la Réunion" (Toulouse, 1952). Cetera opuscula ab eo parata, taceo, quamvis omnia insignia. Nunc Petrus professor Universitatis Tolosae et praediorum dominus, beatus docet et inquit de multifariis plantarum culturae quaestionibus, ad exemplum de arborum praecipue pomiferarum florescentia, de Ficorum ortu et incremento omnium partium, de *Eriobotrya*, etc.

Tel vel quater in anno Petrus Genavae adveniens, Conservatorium Botanicum invisit, herbaria et libros inspiciens. Mecum tunc doctam, curiosissimam, effusam orationem de arboribus saepe tenet, gaudiosis auribus meis cupidissimi scientiam ejus divitissimam discere. Petrum amicum meum saluto, hodie quando amici rariores mihi sunt quam "Rari nantes" Virgiliani in gurgite vasto inhumani mundi.



Pl. I

Polyscias Aemiliguineae Bernardi, spec. nova, 20.10.1973, Mare Longue, *Bernardi 14504*.